

~~Fl. 230~~

A. Bernburger Jr.

Mab. A2) - 44)

nicht verbindbar  
mehr PK

42

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**INJURIIS.**

*Quam*  
**Cœlesti Favore**

Autoritate & permisu, Magnifici & Amplif-  
simi JCtorum Ordinis in incluta & celeber-  
rima Salana,,

PATROCINANTE  
Viro Amplissimo & Consultissimo,  
**Dn. VALENTINO RIEMERO,**  
J. U. D. & hujus Academiæ Professore publico,  
Nobilissimæ Facultatis Juridicæ Decano Spectatissimo, nec  
non Scabinatus Jenensis Adseffore dignissimo, Prä-  
ceptore ac Favitore suo eterno cul-  
tu prosequendo.

*Publicæ dimicationi exponit in Acroaterio JCtorum*

**HENRICUS ASSENBURG**  
STENDALIENSIS MARCH.

Ad diem 23. Martii.

J E N Æ  
*Ex Typographia Johannis VVeidneri,*  
*Anno 1712 CXX.*





# PETRO RIBÆO,

MARCH. VET. ET PRIGNITIE QVÆSTORI INTEGERRIMO,  
OPTIMÆ ERUDITIONIS ET HUMANITATIS EXEMPLIO  
QVEM AD SEPULCHRUM USQUE MERITO VENEROR,  
IN PALLADIS MEÆ ADYTO, FULCIMENTO MAGNO,  
COGNATO AMICOQ; SUPRA FIDEM CERTO, AC INCÓPARABILI  
CUI NON EGO MINUS, AC ORESTI PYLADES  
HOSTIMENTUM HOC CHARTACEUM  
IN SINCERITATIS, ET IN PERPETUUM VICTURÆ AMICITIÆ

# TESTIMONIUM,

CUPIDE LIBO, SACRUMQVE VOVEO  
HENRICUS ASSENBURG.

TU AUTEM DELITIUM MEUM, ET ARDOR  
CAPE QVOD APPONIT HÆC TIBI MEA PATELLA:  
IMO CARPE QVOD AMICUS DEBEBAT AMICO,  
ET TUUM ME ULTERIUS AGNOSCE ET VALE.

J E N Æ  
V. I D. M A R T.  
cō Is CXX.



## Thesis I.

**A**CTURI de injuriis, haud  
immemores sumus divini illius Platoni  
in Phaed. Cic. lib. 1. Offic. quando per egre-  
gie testantur, tractationem omnem à defini-  
tione promanare debere, ut eò melius intel-  
ligatur quid res sit. Quæ cùm ita sece ha-  
beant, operæ pretium facturos nos arbitramur, pauca quædam  
antè, generaliter præmittere, quam ad definitionem ipsam ex-  
panso quasi velo allabamus. Dicta autem injuria ex eo est,  
quod non jure fiat l. 1. ff. b. t. Wesembec. in Parat. ff. ad hunc tit.  
num. 2.

### II.

Accipitur autem injuriæ vocabulum duobus modis, lar-  
gè, & strictè, in princ. Inst. b. t. d. l. 1. ff. b. t. Mynsing. in Inst. princ.  
b. t. largè acceptum denotat omne id, quod non jure fit, d. l. 1.  
strictè autem tripliciter sumitur, 1. pro contumelia, à contem-  
nendo sic dicta princ. Inst. b. t. d. l. 1. ff. eod. cum quis famam alte-  
rius sugillat, 2. pro culpa, quando videlicet damnum illatum est  
alicui ex dolo & culpa, uti habetur in L. Aquilia, 3. pro iniqui-  
tate, sive injustitia; quando nimirum judex non jure contra  
quem pronunciat, injuriam dicitur accepisse is, contra quem  
pronunciat, princ. l. 1. ff. b. t. Borch. Schneidw. princ. Inst. eod.

### III.

Est autem injuria delictum privatum, l. injuriarum 7. &  
l. ult. C. de injur. dolo malo in alterius contumeliam admissum,  
tot. ti. ff. C. & Inst. de injur. Vult. 1. Jurisp. Rom. cap. 49. Magnif. Dn.  
Rect. Petrus Theodorici, Praecept. colend. in Colleg. Crimin. di-

spat. 2. thes. 15. Hackelman. question. illustr. disputat. 23. thes.  
14. h. t.

IV.

Hæc bifariam committitur. Re & verbis. Re quando manus inferuntur. 1. Ult corpus verberibus afficiatur, §. *injuria* 1. & §. sed & L Cornel. 8. *Inst. b. t. l. i. §. i. ff. eod. Vult. lib. i. Jurisp. Rom. cap. 49. Treutler. volum. 2. disp. 23. th. 15.* 2. Si quis levatis manibus terrorem alicui inurat, quasi vapulaturus, l. item 15. §. *Si quis i. ff. h. t.* 3. Si quis aliquem ad tribunal vexandi causa traxerit, l. 13. §. 3. ff. h. t. 4. Si honestissimæ fœminæ pudicitiam attentaverit, aut tantummodo turpibus verbis usus fuerit, l. 9. §. 4. l. 15. §. 21. ff. h. t. 5. Si cui domus sua vi introita, l. 5. §. 2. h. t. §. Sed & Lex Cornel. 8. *Inst. eod.* 6. Si quis alterum cœno vel luto oblinierit, perfuderit, conspurcaverit, l. 1. §. 9. ff. *de extraord. crim. plures videri possunt species in l. 13. §. 4. & 5. l. 7. §. 2. h. t. l. 21. §. 7. defurt. Harprecht. part. 2. disp. 18.*

V.

Verbis, quando quis ad ignominiam alterius verba contumeliosa profert, sive alicui convitium factum fuerit, l. i. §. 1. & 2. ff. h. t. 1. Si quis alterum latronem, furem, aut nebulonem appellaverit, qui tamen hujus generis non sit d. l. i. §. 1. ff. h. t. Schneidw. §. *injuria pr. h. t.* 2. Si quis aliquem ingratum, mendicum, cœcum, claudum, nominaverit quicquid enim ad infamiam, vel opinionem, & existimationem alterius læden-dam seu diminuendam objicitur, & spargitur, *injuria est*, l. item apud 15. §. sed quod adjicitur 5. & §. generaliter 27. ff. h. t. 3. Si quis in consulto calore homicidii convitium alicui objecerit, l. 5. C. h. t. 4. Si quis epigrammata in alicujus contumeliam scripsierit, composuerit, ediderit, dolovè malo fecerit, qua quid eorum fieret l. 5. §. 10. ff. h. t. circa hanc provinciam aliquot occurunt quæstiones i. est: An veritas objecti criminis excusat, injuriantem? Solent communiter Dd. ita distinguere, aut Rei-pub. interest crimen illud patesieri, & tum excusat, sin minus, *injuriarum tenebitur is*, qui tale quid objecit: In humanum enim

enim plane est, & injuriosum, defectus nostros detegil. 2. in finis  
C. quand. & quib. quart. pars. Gail. lib. 2. observ. cap. 99. ubi dicit: Si  
injuriandi animus dolosus probetur, quod ne quidem illo casu veri-  
tas excusat: cui etiam congruit Constitutio Caroli V. art. 110.  
quando dicit: Und ob sich gleich die aufgelegte Schmach  
der zugemessenen That in der Wahrheit erfunde / soll dem-  
nach der Ausruffer solcher Schmach nach Vermögen  
der Rechte vnd ermessen des Richters gestrafft werden.  
2. est: An alicui liceat verbalem injuriam cum honoris præfa-  
tione inferre? Puta si quis dicat, tu mentiris, salva reverentia  
tua. Eorum sententiam firmioribus tibicinibus suffultam esse  
auguror, qui putant ejusmodi præfationem injuriam non-  
tolli, quia protestatio contraria facto nihil operatur, l. quis 21.  
princ. ff. de acquirend. hæred. Gail. 2. observ. 101. Ampliss. & Clariss.  
Arum. Præcept. observ. disp. 24. thes. 15. Clariss. & excellentiss. Dn.  
Præses, Præceptor & Fautor honorandus, quæst. illuſtr. decad. 12.  
quæst. 9. Kubach. cent. 2. quæst. illuſtr. quæst. 1. 3. An verbalem inju-  
riam liceat armis repellere, veluti si quis ad provocatum dicat:  
**So du dich deiner Ehren nach besser befindest denn ein  
Schelm/ so ziehe von Leder / vnd wehre dich meiner.** Ne-  
gamus omnino. Etenim propterea tutela & defensio Magistra-  
tus in medio est constituta, quam quilibet laetus implorare te-  
netur l. 14. C. de Judeis. Jam vero si injuriam hanec armis propul-  
saret, honorem suum & famam, non defendere videtur, sed  
potius vim ac propriam vindictam exercet, omni jure prohibi-  
tam l. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil. l. furem 9. ff. ad L. Cornel-  
de Sicc. l. 1. C. unde vi.

VI.

Injuria autem infertur alicui, aut immediate, nempe in  
alicujus propriam personam, ut si Patrifamilias, vel domino di-  
recto sit injuria l. 1. §. 3. ff. b. t. Giphian. disp. 25. th. 13. Schneidw. §. pa-  
titur num. 2. aut mediate, cum quis per consequentias patitur  
injuriam per alias personas, §. 2. Instit. b. t. ratione potestatis ei  
subjectas, per filios, servos, vel ratione affectus, per uxorem, nu-

num §. 2. *Inst. b.t.l.1. §.3.b.t.l.2. C.eodem.* Heū non ineptè quætitur: An si alicujus famulus pulsatus fuerit, domino injuria fiat? Illorum opinioni firmiter subscribimus, qui ita distinguendū putāt, aut pulsatus est propria ex culpa, & facta haud censetur injuria domino, aut pulsatus est in contumeliam & despectum domini, & tum actio injuriarum domino recte competit, quam rationem ex Bartolo refert *Clariß. Arum. d. disp. quest. 12.* Est præterea unusquisque rerum suarum moderator & arbiter *l. in re mandata 21. C.mandati* adeò, ut ne aliena quidem mihi attingere liceat. Ideoque sive levis sive atrox injuria in servum commissa fuerit, semper eam dominus vindicare potest *l.15. §. si quis 35. & §. Item si liberum 48. ff. h.t.*

## VII.

Porro, injuria alia dici potest levis *l.7. §.2. b. t.* alia atrox, *d.l. §.2.6.7.8. b.t.* Hæc accedit 1. aut ratione facti, nempe si quis vulneratus aut fustibus cœsus fuerit, 2. aut ratione loci, quæ rursus duobus modis fieri potest, ut si fiat in Ecclesia, vel a sylo, aut in conspectu Principis, deinde si percussio facta sit in facie, vel oculo, quæ sane injuria longè gravior est, quam si quis in alia corporis parte percussus fuerit *§. atrox Inst. b. t. 3.* aut ratione personæ, quo respectu dupliciter atrox dici potest, nimirum ex persona cui fit injuria, & etiam ex persona injuriantis: Ideoque levis injuria civi facta, atrox est si fiat consuli, & injuria quæ est levis, si fiat ab extraneo, est atrox si fiat patri à filio, vel patrono à liberto, isti enim obstricti sunt ad reverentiam talibus exhibendam. 4. atrox dicitur ratione temporis, ut si fiat tempore judicii in conspectu judicis, aliorumque adfessorum *l. Prætor edixit 7. §. atrocem 8. ff. b. t.*

## VIII.

Injuriam faciunt omnes qui & pati possunt: utpote Magistratus, quando & supra & præter officium aliquem concutiunt, aut contumeliosè afficiunt aut in cognita causa odio aliquo adducti, contra aliquem sententiam ferunt *l. 32. ff. b. t. l. 29. §. 7. ad L. Aquil.* quod etiam procedit; si judex aliquem injustè in car-

in carcere conjecterit, quod tamen nonnulli intelligi volunt,  
si hoc fecerit animo injuriandi l. 13. §. 1. ff. b. t. non autem si pro-  
pter officii sui rationem hoc fecerit, Hænon. disp. 18. th. 29. 2. Pa-  
ter & filius l. 22. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. l. 6. §. 3. hoc l. 2. ff. de obseq.  
parent. 3. Dominus l. 15. §. 42. b. t. 4. Filius fam. l. 36. eod. 5. Ma-  
gister sive Praeceptor, quando in castigando modum excedit  
l. 5. §. 3. ff. ad L. Aquil. l. 6. eod. Hic non in convenienter queritur:  
An verbi divini Minister, qui pro concione aliquem verbis in-  
juriiosis notavit, actione injuriarum conveniri possit? quod ne-  
gandum putamus Harprecht. disp. 18. th. 26.

## IX.

Proinde injuriam non facientes, presumuntur. Impu-  
bes infantiae proximus l. 3. ff. b. t. 2. furiosus d. l. 3. animan-  
tia bruta l. 1. ff. si quadrup. paup. feciſſ. dic. quia injuriæ facienda  
affectu carent Magnif. Dn. Foman. Praeceptor merito observandus,  
disp. 27. th. 10. 4. dormiens, puta ut quidam solent teste Grego-  
rio Horstio in prob. med. decad. 2. quæſt. 6. de noctu ambulet, vel  
aliud quid agat, quia furioso comparatur l. 1. §. furiosus ff. de ad-  
quirend. vel amittend. poss. Peckius in cap. sine culpa de R. J. in sexto  
cap. unic. de homicid. in Clement. c. 3. §. idem queritur de Baptismo:  
imo mortuo æquiparatur, quod & Ovid. testatum reliquit lib. 2.  
Amor elog. 9. quando dicit:

*Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis  
imago?*

5. maritus, qui justo modo castigat uxorem argum. l. si adult. 38.  
§. 8. Novell. 117. cap. 8. §. 2. in fin. cum authent. seq. l. si quis in gravi §.  
si maritus ff. ad Sctum Syllanian. 6. Medicus sive Medicinæ Stu-  
diosi, aut Chirurgi, qui cadavera exhument, cum illud non ani-  
mo injuriandi, sed propter exercitium artis suæ, & ulterioris  
peritiæ, maxime autem publici boni, & utilitatis causâ, facere  
presumantur l. quod Reipubl. 33. ff. b. t. Speckhan. cent. 1. quæſt. 8. de-  
inde cadavera punitorum cuivis petenti ad sepulturam conce-  
di solent l. fin. ff. de cadaver. punit. non autem procedit si punien-  
dos

dos vivos incidunt: uti quondam fecerunt Herophilus & Erasistratus, quia executio carnifici mandanda est, non Medico, cuius ars ad salutem hominum pertinet non ad perniciem l. i. §.i. de extraord. cognit. difficilius autem hic quæritur de ebriis? duplíciter distingueudum putant Dd. primum inter ebrietatem, Drunkenheit / & ebriositatem, id est abusum seu habitum portandi Vertrunkenheit/ ut illa facilius excusat, quæ fit casu & ignoratione, non autem ex proposito seu ὀργασμός, quodque pro pecato veniali reputatur C. criminis §. unum dist. 25. hæc autem minus, deinde inter injuriam leviorem & atrociorum, ut illa verè semper condonanda sit, maximè si sobrius factus poeniteat Gail. 2. observat. c. 120. num. 24. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. unic. C. si quis Imp. maled. Andreas Gerhardi decad. 17. quest. 7. eadem videtur ratio cum illo, qui iracundiæ calore injuria fecit; si postea sedato animo facti revocando poeniteat, maximè autem requiritur, ut sequatur poenitentia, alias probata, & quasi repetita injuria censebitur, Bachov. ad Treutler. volum. 2. disp. 30. th. 6. lit. a. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. & l. 5. C. b. t.

X.

Pati possunt injuriam, cujuscunque ætatis, sexus, conditionis, & status homines (exceptis tamen servis) cùm illis jure Romano nulla injuria fiat §. 3. Inst. b. t. l. 3. de capit. de minut.) veluti Paterfamilias, vel per semet, vel per alios, sanguine junctos, aut per servos l. i. §. 3. ff. b. t. sed non eodem modo, quo per liberos, Sponsus per Sponsam, Sacerdos l. 4. C. b. t. l. 15. §. 29. b. t. Filius fam. l. 17. §. 10. 20. ff. b. t. Hoc loco non exiguum dubium incidit: Num Pater injuriam filiofam. irrogatam, pro qua actio competit prætoria, eo invito remittere possit? Etsi non desunt qui hoc omnino negare audeant, fortiter tamen pro Patre pugnat l. sed si unius 17. §. ait Prætor 10. cū §§. sequent. ff. b. t. quia videtur injuria quodammodo plus spectare ad Patrem, quam filium arg. l. isti 8. §. fin. junct. gloss. fi. ff. quod met. caus. Excipiunt autem Dd. quosdam casus veluti si pater absens, aut si vilis abreactaque conditionis sit Bachov. d. disp. ad Treutl. 2. volum. thes. 7.

non

non enim debet sordidus Pater generoso filio quandam degeneris humilisque animi notam inurere , facili remissione injuriarum, d.l.17. §.10.ii. & 13. Schneidw. ad §. patitur. Inst. h. t. nu. 8. & gloss. ad marg. lit. b. ibidem. Quidam distinguunt inter actionem injuriarum prætoriam , & hanc, quæ ex L.Cornel. promanat , quod illa, Patri, hæc autem filio competit, l.5. Lex Cornel. §. illud 6. ff. h. t.

## XI.

Injuriam verbalem verbis repellere licet omnino, modo defendendi, ac famæ servandæ , non ulciscendi causa id fiat, l.ut vim ff. de Just. & Jur. l. qui cum major 14. §. si libertus ff. de bonis libertorum. Etenim ut arma armis, ita verba verbis repellere licitum putamus, cum non minor sit honoris ac famæ, quam bonorum, & ipsius vitæ habendæ ratio l.9. de man. vindict. l.8. §. 2. quod met. caus: quò respexit JCtus in d.l.3. quando inquit, ut vim atq; injuriam propulsemus. Proinde, paria delicta, mutua compensatione tolluntur C.fin. extra. de adult l. viro 39. ff. solut. matr: Ideoque si quis aliquem latronem, aut nebulonem appellaverit, inficias ire debet, dicendo, se tam diu illum pro ejusmodi homine habiturum, donec injuriatū talem esse probaverit: si hoc modo injuriam quis retorserit, se defendit, sin minus, & eadem injuria, injuriandi animo injuriatē afficit & propriam exercendo vindictam, novam illi inferre videtur, vid. Möllerung in Constit. Elect. Sax. pag. 4. cons. 42. Magnif. Dn. Petr. Theodor. in Colleg. Crim. disp. II. th. 5. Ampliss. Arumæns d. disp. 24. th. II. Andreas Gerhardi Exerc. Justin. decad. 7. quæst. 8. Hackelman. disp. quæst. II. lust. 23. th. 17. Eadem videtur ratio in falso injuriante, eundem enim licite reprimere licet, puta si quis dicat, Tu mentiris, quia non injuriandi, sed purgandi animo, falso injuriantem refellit, jam vero injuria non dici, potest nisi injuriandi animus adsit. l. si non convitij 5. C. de injurijs, ideoque ferendus est pudorem suum purgans, l. 25. §. sed si adversarius in fin. ff. de procurat: crudelis insuper existimatur, qui famam negligit C. non sunt audiendi II. q. 3. & hominis fama in æstimabilis est, l. si in duabus de R. J.

B

Est

Est præterea injuriarum actio ex æquo & bono, l. non solum n.  
§. i. ff. de injurijs. Bonum vero & æquum non permittit, ut contra illum, quem prius ipse injuriosè affecit, actionem injuriarum quis instituat: debet enim culpa penes autores istos manere, qui ancam dederunt, & prius adorti sunt: quæque inde subsequuntur, non offensioni sed defensioni imputare debent l. si ex plagis §. Tabernarij ff. ad L. Aquil.

XII.

Injuriarum actio datur omnibus; qui injuriam sunt passi, ff. t. t. velut si filiofamilias injuria facta sit, actio datur Patri, & ex sua & ex filii injuria, l. l. §. 3. ult. l. 5. §. 6. l. 18. §. ult. ff. b. t. §. 2. l. eod. Competit præterea avo injuriarum actio, quæ nepoti facta est, arg. l. 17. §. 10. 18. 20. b. t. Spōso ex injuria Sponsæ illata, l. 15. §. 24. ff. b. t. datur etiā hēc actio domino servi, l. l. §. 3. ff. b. t. l. 2. C. eod: non tamen eodem modo ut Patri, d. §. 3. l. b. t. l. 8. C. eod. Fructuario, cum in ejus contumeliam & opprobrium facta est injuria, d. l. 15. §. 48. ff. b. t. Carcerato innocentia, népe pro debito, Treutl. disp. 30. volum. 2. th. 5. Secus autem bona in fidei possessore, l. 15. §. 47. 48. ff. b. t. §. 6. Inst. b. t. marito aut colliberto, propter nuptæ libertæ levem coercionem, factam à Patrono, l. II. §. 7. l. 7. §. 2. ff. b. t. Uxore ex injuria mariti §. 2. d. l. Hæredibus, l. 13. in pr. ff. b. t. l. 15. §. 14. eod. Domino ex L. Cornelia, si fundum locaverit l. 5. §. 4. ff. b. t. obivisio XIII. in von medibn v obvioro

Actione injuriarum conveniri possunt, non tantum qui fecerunt, sed etiam qui dolo fieri curarunt, l. 15. §. 8. ff. b. t. §. 11. Inst. b. t: quod enim quis per alium fecit, ipse fecisse videtur, l. hoc jure 152. §. 1. Et l. 18. damnum 169. ff. de R. 7: modo effectus subsecutus sit d. l. 15. §. 10. b. t. & quidem non tantum privati homines: sed etiam universitates; utpote Civitas, Opidum, Collegium, Pagus, argum. l. metum. 9. §. animadvertisendum, & ibi gloss. ff. quod metus caus. l. sed ex dolo 15. §. 1. ff. de dolo malo, dummodo universitatis homines, omnibus de universitate solenniter convocatis, & animo deliberato, communicatoque consilio, injuriam alicui interrogaverint: non autem procedit in civitatum directo-

d

rectoribus, qui sine mandato speciali, nec consilio alicui injuriam fecerint, l. semper 15. §. si in sepulchro ff. quod vi aut clam. Hereditibus, l. 13. ff. h. l. unic. C. ex delict. defunct. l. ult. in fin. de revocand. donat: non etiam in Patre, si filium defendere nolit, l. 36. ff. b. t. Servus, ex L. Corn. d. l. 17. §. 7. ff. b. t. Heic lubet quæstionem adponere, Si plures injuriam fecerint, an singuli teneantur? dicendum puto, quod non solum teneantur, sed etiam injuria damnati famosi efficiantur, l. i. & l. athletas §. fin. ff. de his qui not. infam. l. i. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar,

#### XIV.

Injuria loco illata non præsumitur, quando injuriosum quid in aliquem fuerit factum, vel dictum: nec abesse videtur dolus; quoties aliquid legibus prohibitum sit, admittitur, nisi contrarium demonstretur, l. 5. C. de injur. Wesembec. in Parat. numer. 8. Ideoque in dubiis reo neganti, juramentum purgationis deferri solet, Der Beklagte wolle mit einen leiblichen End erhalten/das die angezogene Schmach nicht animo injurandi geschehen / solle gehört werden/ vnd ferner geschehen was recht ist. Si hoc juramentum reus præstet, ejus vi absolvitur. Gail. observat. 2. cap. 106. Hackelman. d. disp. 23. th. 16. Hoc autem non perpetuo observari solet, præsertim in personis conjunctis; puta si naturâ aliquid injuriosum dictum factumque fuerit à Patre, Cognato, Amico, corrigendi aut jocandi potius quam injuriandi animus præsumitur, l. unic. C. de emend. propinq. l. ut vim 3. ff. de just. & Jur. l. sed et si 5. §. si Magister. ff. ad L. Aquil. Bachovius ad Treutl. 2. volum. d. disp. th. 6. lit. b. Hinc etiam Accursius, per l. 39. ff. b. t. eleganter dicit: quod sanguinis ratio tollat præsumptionem inferendæ injuriæ. Si vero illud, quod illatum est, naturâ sui aut per se injuriosum non sit, tum actori probatio rectius imponitur l. 2. l. ante omnia 23. ff. de probat. l. actor. 23. C. eod. l. qui accusare 4. C. edend. l. 32. ff. de V.S. Clariß. Arumæ. Exercit. 17. thes. 15. & disput. 24. thes. 16. Harprecht. d. disput. 18. thes. 1.

## XV.

Controversa etiam hodierno die quæstio est: An ille qui in judicio contra testes excipiendo dicat, illos esse perjuros, falsarios, criminosos, & non probando, actione injuriarum tenetur? Distinguendum ducimus, aut agitur de criminalibus, ubi poena sanguinis irrogatur, & sui defendendi gratia, criminis falso objiciens non tenetur: cuique enim permisum est sanguinem suum qualitercumque redimere, *l. ult. ff. quod quisq. jur. l. i. ff. de bonis eorum qui mort. quidni & famam?* cùm vita & fama pari passu ambulent, *l. isti quidem 8. §. i. & pen. ff. quod met. caus. l. 9. ff. de man. vindict.* unde in criminibus poenam mortis continentibus, licitum est, adversarium corrumpere *l. 18. C. de transact:* aut accusatur bonorum, vel, causarum civilium, objiciens tenetur, omnimodo, etiamsi protestatio facta sit, se non animo injuriandi hoc vel illud fecisse: nam protestatio facto contraria, nihil operatur *l. 21. ff. de acquirend. bæred.* deinde qui excipiendo, calumniam objicit, poenam calumniæ non effugit *l. i. C. de Advocat. divers. jud. l. si vero §. i. ff. qui satisd. cog.*

## XVI.

Circa injuriæ vindicationem, ob varia injuriarum genera, poena non semper fuit eadem, antiquissimo tamen jure, nimurum 12. tabb. colligere est, quod propter membrum ruptum, talio fuerit, *§. 7. Inst. h. t. Gell. lib. 20. c. i.*: quam poenam etiam, jus divinum probavit, *Exod. 21. v. 23. 24. 25. Deut. 19. v. 21. Levit. c. 24. v. 20. & Aristoteles in 5. Ethic. scribit: Fuisse veterem quandam Rhadamanti de talione legem, ut quod quis alteri fecisset, ipse patetur.* Propter os vero fractum, nummariae poenæ erant constitutæ; quasi in magna veterum paupertate *d. §. 7. Inst. h. t.* Verum cum illa in desuetudinem abierit, de qualibet injuria agitur hodie, civiliter aut criminaliter. Civiliter, quando actor injuriarum sibi illatam aestimat, ac certam pecuniaæ quantitatem poenæ loco reo imponit, sibi que salva taxatione judicis adjudicare petit, *§. in summa Inst. h. t. l. Prætor. 7. §. posse. 6. ff. h. t.* Criminaliter

ter autem agitur, quando actor reum, arbitrio judicis, vel in corpore puniri, vel in mulctam pecuniariam fisco inferendam, condemnari desiderat, d. §. in summa 10. Borch. §. ad pœnam autem Inst. h. t. l. sed si unius 17. §. servus. l. 37. ff. h. t. l. ult. C. eod. Agere autem præterea quis potest, injuriarū civiliter, per se, & per alium, puta per procuratorem, de omni injuria civiliter scilicet, etiam de atroci l. 7. §. 6. l. 37. §. 1. ff. h. t.: quod etiam in actione, ex L. Cornelia procedit, l. 42. §. 1. in fin. ff. de Procurat. Criminaliter vero per Procuratorem agere non licet, nisi sit illustris persona l. II. §. 2. ff. h. t. §. 10. Inst. h. t. l. ult. C. eod. quod tamen hodie non observatur Treutl. volum. 2. disp. 30.

## XVII.

His accessit actio ad palinodiam, *Ordinat. Camer. part. 2.* l. 28. §. 4. quæ intentatur ad convitii revocationem, & reclamationem, de qua acris Dd. est dimicatio: Utrum actio hæc recantatoria sit civilis? an vero criminalis? nos si positis his omnibus, quæ à Maranta, *Speckhan. part. 4. dist. 1. num. 17. Althus. lib. 1. Jurispr. Rom. cap. 53.* in contrarium proferantur, cum modernis statuimus Dd. actionem hanc civilem esse, cum illa ad honoris tantum restitutionem tendat, non autem ad vindictam publicam, nec ad pœnam corporalem vel aliam pecuniariam, fisco applicandam, quod in criminali requisitum est necessarium. *Gloß. & Bart. in l. Prætor. ff. de sepulch. viol: deinde in Camera Imperiali nulla criminalis accusatio admittitur. Injuriarum vero reclamatoria actio in ea quotidie recipitur, Ordinat. Cam. part. 2. c. 28. §. Und sonderlich setzen/ ic. Vult. lib. 2. Jurisp. Rom. cap. 19. num. 53.* Et quamvis jure communi in criminalibus causis appellatio non permittatur, l. addic̄tos. §. circa fin. C. de Episc. audiens. l. litigatoribus 14. l. Et in majoribus 20. C. de appellat. generali tamen totius Germaniæ consuetudine in causis iisdem illa non admittitur, excepta causâ pacis publicæ, *Mynsing. resp. 7. decad. 1. num. 15. Ordinat. Camer. Imp. part. 2. tit. 28. §. item Nach dem/ ic. & Gail. lib. 1. observ. 1. num. 28.* Jam vero in actione recla-

enatoria, appellatio conceditur, uti Ordinat. Camer. part. 2.  
tit. 28. §. Und sonderlich vers. Doch sollen die Sachen. Quare  
actio hæc non criminalis est, sed civilis. Præterea in criminali-  
bus, vel ad crimen persequendum, regulariter Procurator in-  
tervenire non potest, l. pen. §. ult. ff. de publ. jud. cuius tamen con-  
trarium observatur passim in judiciis, quando ad reclamatio-  
nem injuriæ agitur, Tandem videre licet ex Constit. Elect. 42.  
part. 2. ubi palinodia quasi civilis separatur à pœna criminali,  
sicut utriusque debeatur, quod aliter esset, si utraque criminalis  
foret, quia nemo duabus pœnis afficiendus est l. unic. quando ci-  
vil. actio crim. præ. Clariß. & Excellentiss. Dn. Præses quæst. illust. de-  
cad. 12. quæst. 10. Hæc sententia contra Marantam, in tractatu de  
Ordine Judiciorum, part. 4. recepta, & in supremo imperii judi-  
cio approbata est Mynsing. cent. 2. observat. 98. Gail. lib. 1. obser-  
v. pract. 65.

### XVIII.

Damnatus injuriarum per hanc actionem, non fit infa-  
mis, nam actio hæc non ex jure communi, sed Caroli V. Ordinat.  
in Camera Impp. fol. 112. promulgavit, qua quis condemnatur ad  
satisfactionem & honoris restitutionem, auß einen Wieder-  
ruff/ unde & reclamatoria dicitur actio. Hinc approbatum per  
Cameræ usum & stylum qui instar legis observatur, referente  
Gailio lib. 1. observat. 65. nu. 5. & seqq. eam non infamare, quan-  
do enim actor petit per revocationem sibi restitui debere fa-  
mam, & honorem, & reus fatetur se injuriam dixisse veniam  
petendo non infamat, manet enim famæ & honoris reservatio  
cum hac clausula, Das es ihm an seinen Ehren nicht schedlich  
oder nachtheilig sey/ contrarium tamen observatur in injuria  
gravi, qui enim gravioris injuriæ condemnatus est infamis fit  
per l. 18. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 1. l. 4. in fin. ff. de his qui not.  
infam. De modico vero non curat Prætor, nec actiones famosas  
ob rem parvam impertit l. scio. 4. ff. de in' integ. restit. l. si quis 9. §.  
ult. & l. sequent. ff. de dolo malo.

Uitterius

## XIX.

Ulterius progredimur scrupulosè inquirendo, An etiam  
in criminibus injuriarum arbitrariis, pro delicti atrocitate, pœ-  
næ ad mortem usque naturalem extendi possit? Affirma-  
tum opinioni calculum addimus, per l. i. §. fin. de de extra ord.  
crim.concordat §.8. Inst. de pub.jud. præsertim ubi atrocitas id  
requirit injuriæ item l.sunt quædam.9.ff.de extra ord.crim.ubi di-  
citur, quædam esse delicta quorum arbitraria coercitio exten-  
datur usque ad pœnam capitis, & sic usque ad mortem, deinde  
manifesti juris est, quod propter delictorum quorundam atro-  
citatem, & gravitatem, solus eorum conatus pro effectu punia-  
tur, l.14.ff.ad L.Aquil.l.14.ff.ad L.Cornel.de Sicar. l.si quis non di-  
cam rapere. C.de Episc. & Clericis l. quisquis C. ad L. Jul. Majest.  
Jul. Clarus in crim. §. fin. quæst. 92. num. 2 l. 38. ff. de pœnis. l.  
15.ff.de injur.l. Julia.7. §. bodie ff.ad L. Jul.repetund. ubi dicitur:  
reos criminis repetundarum à judice extraordinem puniri debere:  
proq; ratione circumstantiarum pœnam ad ultimum supplicium ex-  
asperari posse, deinde etiam patet & Constitutione Carolina-  
art.112. & 113. ubi cautum est pœnam falsi extraordinariam, pro  
gravitate, & qualitate sceleris, interdum ad mortem usque  
porrigi, item l.sacrilegij ff.ad L. Jul. peculatus, ubi dicit Ulpian.  
pro consulem sacrilegos plectere, ut aliquos ad bestias damnet alios  
igne comburat, alios vero in furcas suspendat, videatur etiam l.i.  
& 2. C.de his qui latro. occult. ubi contra eos qui latrones occul-  
tant, vel homicidas, pœna mortis decernitur. Exempla nobis  
suppedant Historici, sic enim legimus, quod Jacobus Trimul-  
tius, ViceDominus Regis Galliæ, Gallum quendam securi per-  
cuti jussit, quod Susanam Trimultiam injuriâ affecisset,  
eamque deosculatus esset, Ægidius Bossius in tit. de extraord. cri-  
min. num. 3. referente Borcholtem ad §. in summa num. 9. In-  
stit. b.t.

## XX.

Tollitus autem injuriarum actio variis modis i. remis-  
sione partium: & hac vel expressa vel tacita: quæ rursus colli-  
gatur

gatur tum ex factis, veluti si quis cum injuriante familiariter  
fuerit conversatus, §. ult. Inst. b.t. Clar. in §. injuria num. 10. Dam-  
huder. in prax. crim. cap. 136. num. 19. aut cum injuriante trans-  
egerit, l. non solum II. §. 1 ff. h.t. l. si tibi decem 17. §. 1 ff. de paet. ei-  
demque osculum præbuerit, quia indicum est charitatis, con-  
sensus, & amicitiae Schneidw. d. loc. & §. Gothofred. in notis ad l.  
16. C. de donat. ante nupt. quandoque etiam reus jurejurando  
confirmat; se nihil injuriandi animo dixisse aut fecisse l. Lex  
Cornel. 5. §. hac lege permittitur, & l. non solum II. §. 1 ff. h.t. l. 3. §. 1.  
ff. de jurejur: præterea etiam tollitur satisfactione, quando ni-  
mirum solutum est quod injuriæ nomine peti poterat l. 17. §. 6.  
ff. h.t. itē dissimulatione, §. ult. Inst. b.t. l. II. §. 1 ff. eod. nisi injuria-  
tus exprimat, & protestetur se injuriam illam ad animum suum  
revocare, quod si fecerit licet post vocationem in jus, injuri-  
antem salutet, cum eodem bibat, aut edat, aut aliquam aliam ami-  
cabilem collationem instituat, [non actionem, sed rancorem,  
Der Personen Freund/der Sachen Feind/ remisisse intelligitur  
Mascardus de probationib. conclus. 902. 2. aut simplici taciturni-  
tate, si injuriam ad animum non revocaverit, aut ea in judicium  
non deducta mortuus l. item apud §. injuriarum 14. & l. injuriarum  
13. ff. b. t. Wesembec. in Parat. num. 13. b. t. vel tempus actioni  
præfinitum labi passus fuerit, Bachov. ad Trentler. 2. volu. d. dispe-  
th. 7. lit. e. f. & g. Hoc autem de injuriarum actione præatoria ge-  
nerali quæ annalis est, intelligi debet, non autem de speciali si-  
ve civili actione ex L. Cornel. de pulsatione, verberatione, aut  
violentio introitu in domum, quæ perpetua est, descendente.  
Hic coincidit dubium. An pro injuria semel remissa, actio inju-  
riarum amplius intentari queat? quod negamus, cum injuria  
semel remissa, amplius recoli non possit, §. ult. Inst. b. t. l. non sa-  
lum. II. §. 1 ff. eod. l. auxilium 37. in princ. ff. de minoribus & argum.  
tot. C. de remiss. pign: nec alias actio extincta reviviscit l. qui res  
98. §. aream. 8. ff. de solut. & obligatio sublata, in perpetuum non  
restituitur d. l. qui res §. nec admissum ff. eod.

De anno,

XXI.

De anno, in prætoria injuriarum actione, utrum continuus sit vel utilis, à Dd. contentiosè quæritur? nos continuum esse dicemus, per l. si non convitij, C. de injurijs, ubi simpliciter dicitur, anno eam finiri, quod de continuo anno intelligi oportet; quoties enim in jure tempus utile non exprimitur, semper continuum esse intelligitur, l. genere ff. de his qui not. infam. & ibi Bart. num. 1. Gail. 2. observat. cap. 105. 2. in dubio dilationes intelliguntur contiuui temporis, l. 1. C. de ferijs & l. sive pars 3. in fin. C. de dilat. 3. quia actio injuriarum odiosa est & poenalis, ideoque restringenda potius, quam amplianda, l. interpretatione 42. ff. de pœnis. 4. quia materia dilationum est amputanda, l. 2. in princ. C. de appellat. temp. Nec in contrarium quidquam faciunt, l. 14. §. post annum ff. quod met. cauß. ubi dicitur: *injuriam per metum illa tam anno utili exolescere*; hoc enim speciale est, in injuria per metum illata, hæc enim multo gravior est alia simplici injuria, 2. illa lex non loquitur de injuria, prout est contumelia, sed de violenta compulsiva, quæ non jure fit, Schneidv. §. sed & L. Corn. Inst. h. t: Nec illud pro contraria sententia facit, si quis famoso aliquem libello traducat, perpetuo duret, & maneat, & semper loqui censeatur: ideoque semper injuria fieri, & perdurare intelligitur: Etenim injuria non à Scriptura, vel libello, sed à voluntate & animo potius injuriantis aestimatur, l. 1. ff. de injur. heic autem animus, contumelie, à quo res pendet potest non durare, quia hominis voluntas est immutabilis, etiamsi scriptura duret W esembec. consil. 22. num. 7. Bronch. cent. 4. assert. 78.

XXII.

Disputationis hujus filum abripiat, quæstio illa celebris, An Transactio de privatis delictis licita? quod concedimus; modo distinctio aliqua observetur, inter actionem pro delicto privato civilem, & criminalem, priori modo licitam esse probamus, per l. si profure in pr. ff. de condit. furt. l. 13. C. de furt. & serv. corrupt. l. si pignore S. fin. ff. de furt. posteriori autem casu, con-

C

trarium

trarium dicimus, quia partes juri publico renunciare non pos-  
sunt: nec efficere, quo minus delicta puniantur, l. 7. §. si paci-  
fcar. ff. de pactis l. licitatio. §. quod illicite ff. de publ. si vectigal. quod  
utrumque efficeretur hoc casu, qua ratione nemini permisum  
est, accusatorem datâ pecunia corrumpere, sub poena falsi, l. e-  
jus qui delatorem ff. de jur. fisci. Secus autem est, si injuriatus cum  
injuriato, autoritate Judicis sive Magistratus, etiam pretio da-  
to, cum adversario suo super illata injuria transegerit, & tum  
neutiquam infamia mactabitur, l. furti 6. §. pactus vers. qui jussu.  
ff. de his qui notant. infam. siquidem autoritas, & jussus judicis o-  
mnino excusat, l. quanquam 4. in fin. ff. de aqua, & aqua pluv. ar-  
cend. l. si stipul. 81. §. i. ff. de solut. Ampliss. Arum. d. Exercit. 17.  
thes. 19.

SIT LAUS SOLI ISTI A QVO SOLO OMNIA.

---

### Corollaria.

I.

Rectores Academiarum de causis crimin-  
ibus cognoscere possunt?

2.

An reo in cuius ædibus incendium ortum  
fuerit, vel actori, qui damnum exinde  
est passus, probatio incumbat? Nos, si  
nulla adversus reum, negligentiae in-  
dicia appareant, actorem ad certæ  
personæ demonstrationem compel-  
lendum esse putamus.

Man-

<sup>3.</sup>  
Mandans hominem vulnerari, & prote-  
ftans ne occidat, si illum mandata-  
rius non occiderit L. Cornel. non  
tenetur.

<sup>4.</sup>  
Furiosus de delicto ante furorem commis-  
so, puniri potest.

<sup>5.</sup>  
Tabellarius pecuniam sibi annumerata-  
tam in usus suos convertens, furtum  
committit.

<sup>6.</sup>  
An testes, qui veri testimonii ferendi cau-  
sa pecuniam acceperunt, & verum et-  
jam dixerunt, poena falsi affici pos-  
sint? Aff.

<sup>7.</sup>  
Illi, qui ad adimēdam extremam famis ne-  
cessitatem, esculenta surripuit, veni-  
am impunè concedendam esse puta-  
mus.

<sup>8.</sup>  
An Tutor aliis non extantibus, in succes-  
sione

C 3

sione pupilli præferatur fisco? quod  
negamus.

Monstrosi liberi hæredes necessario insti-  
tuendi non sunt.

Dn. Henrico Assenburgio  
Resp. Adfini, Conterraneo, &  
Amico suo dilecto,

**H**AUD paucos reperire licet qui injuriam atrocem  
Pro virtute gravi semper habere solent.  
Alterius famam dum rodere dente maligno  
Contendunt, totam tollere vel potius.  
Hos Assenburgi, doctis, tu docte, pagellis  
Confutas, pestem dum removere studes  
Insigne est certe factum, faciat modo ut omnes  
Morsus inyidiæ, nil nocuisse queant.


τῆς φιλίας ἔνεα faciebat

**Christophorus Schvvechtenius**

SS. Theol. Stud.

**F I N I S.**

C 3





# Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

B.I.G.

IDICA

IIS.

42

ore  
ifici & Ampli-  
a & celebri.

TE  
ltissimo,  
**R I E M E R O,**  
professore publico,  
o Spectatissimo, nec  
ignissimo, Prä-  
no cult-

terio jctorum  
E N B U R G  
M A R C H.

VVeidneri,

x.